

Joachim Stockmann Christian August Mithob

Disputatio Medica De Variolis Et Morbillis

Rostochi[i]: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72971120X>

Druck Freier  Zugang



RU. med. 1639.

Joachim Stockmann, Preis.
Christen August Mithobius, Resp.

DISPUTATIO MEDICA
De
VARIOLIS ET
MORBILLIS,

Quam

AUXILIANTE

D. T. O. M.

*Permissu Amplissima Facultatis Medicæ
In Alma Rosarum Academia*

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi & Experientissimi

Dn. JOACHIMI STOCKMANNI,

Philos. & Med. D. Physices Professoris publ,

Præceptoris, Fautoris, ac Promotoris sui

aternum colendi,

Exercitij causa publicè ventilandam proponit

CHRISTIANUS AUGUSTUS MITHOBIUS

Cellâ Lunæburg:

Habebitur in Auditorio majori ad diem 3. Non. Aprilis.



ROSTOCHI,

Litteris NICOLAI KILII, Academ: Typogr.

Anno M DC XXXIX.

42

1639

THE S I S I.

Pustula sive Papula, Græcis Φλυκτίδες, Φλύκταινας, Ψύδακες, Ψυδάκια, etiam ἐξανθήματα, ἐκθύματα, appellantur, itemq; ἐκζέσματα, ἐκβεγασμάτια.

II.

Hoc loco, Pustula, quæ Germanis die Blattern / die Bocken / Variola & ἐκθύματα; Variolis congeneres macula, die Masern Morbilli & ἐξανθήματα dicentur; ἐκζεμάτων, & ἐκβεγασμάτων communia & generalia nomina erunt.

III.

Hæc præmittere debuimus, monente nostro Galeno. Ne perturbatus & confusus vocabulorum usus, rerum quoq; confunderet noticiam, & inanibus litigiis ansam praberet.

IV.

Rationes harum, præ reliquis arreptarum appellationum, publico discursui potius reservamus, quam ut sine insigni fructu prolixius hîc in vestibulo disputemus, An variola dicta sint tanquam Cutem variantes, parvis varis iónthois similes pustula: Cumq; Italis Pestis (Sennerto) Il Morbo, Morbus καὶ ἐξοχήν dicatur, annon eâ ratione, uterq; vel alteruter & uter affectus Morbillus, id est, parva pestis appellari debeat, & cur ἐκζεμάτων, ἐκβεγασμάτων vocem, Nos ita usurpare maluerimus promiscuè.

V.

Dari autem hujusmodi, hisce nominibus insignita ἐκζέσματα, Effervescentias, & ἐκβεγασμάτια ex humano corpore tanquam è mari, in cutem tanquam in litus, projectas algas aut naufragiorum ruder a, ea ipsa non tantum res est notissima, sed commune & necessariū ferè malum, aliis aliâ etate, minori, majori cum valetudinis

bet a diuis formę periculo experiendum, si non expertum, exper-
tis iuxta cum in expertis metuendum.

VI.

Sunt autem Variolę pustula satis conspicuę, & Morbilli vix
ad tactum elevata macula, ex sanguinis sive humorum efferve-
scentiã & ebullitione in cutis superficie per totum plerumq; corpus
& cum Febre erumpentes, pueris maximę familiares, pruritu
& dolore molesta.

VII.

Non solum externa, nec semper ejusdem coloris aut magnitu-
dinis, nec aequę citò progerminantes, aequę copiosę pullulantes, modo
citius, modo tardius maturescences, alię sporadica, alię Epidemia,
benigniores, maligniores sapę pestilentes, vix unquam non
contagiosę.

VIII.

Avicennas morbillos nihil aliud esse dicit, quam Choleri-
cam Variolam. Variolę tamen hoc peculiare habent, quod ex
crassiore & humidiorę materia genita, oculos magis infestent, &
non sicut Morbilli nullis remanentibus vestigiis facilię resolvantur
& evanescant, sed tardius maturentur, in abcessus & puru-
lento ichore manantia ulcuscula desinant, magna cum erudeli-
tate & feditate cutem depascantur, relictis, in facie præsertim,
profundioribus scrobiculis, & lividis rugosis cicatricibus.

IX.

Hęc est etiam, quando non comitatur febris! Eaq; conti-
nua est, aliàs Ephemera, aliàs Synochos putrida vel non putrida
contagiosa, Epidemia, Maligna, Pestilens.

X.

De origine & causis Variolarum & Morbillorum diligen-
tiori indagini, non una eademq; antiquorum & recentiorum au-
torum occurrit opinio.

XI.

Apud Græcos Scriptores, Nec apud Hippocratem
tantum

tantum aut Galenum, Jed & Aretaeum, Ruffum Ephesium, Alexandrum Trallianum Paulum Aeginetam, Oribasium, Aetrium &c. & reliquos Medicorum principes, de nostris variolis & morbillis vix quicquam praeter $\xi\zeta\omega\delta\eta\mu\acute{\alpha}\tau\omega\nu$ aut simile quoddam commune nomen invenies;

XII.

Inveniuntur tamen, qui nescio cui tanto bono, quo conatu probare satagant. Nihilominus cognita fuisse hac ipsa hoc modo determinata $\xi\zeta\omega\delta\eta\mu\acute{\alpha}\tau\omega\nu$. Apud Forestum affirmativae parti assistentes citantur Manardus, Sebastianus Austrivus & Tubingensis Schola, contrariam sententiam ibidem amplectuntur Marcus Antonius, Montisianus Florentinus Medicus, Franciscus Valleriola, Gartias Lopias, quibus adde Mercurialem &c.

XIII.

Arabes & ex simili instinctu recentiores quamplurimi in nostrâ arte antecessores cum animadverterent puerilem quidem, Jed nihilominus ita communem esse variolarum & morbillorum affectum, ut sine omni sexus, aetatis, temperamenti, vitae generis, loci, temporis aut cujuscumq; alterius conditionis discrimine, quovis obvius invadat, & si quem praeteriisse videatur, ultima saepe senectâ praebeat, adeoq; nullum ferè hominem $\omega\psi\upsilon\delta\epsilon\gamma\chi\iota\omega\tau\epsilon\upsilon$ dimittat. Itemq; ~~non solum cutis hac esse vitia, sed internorum quoq; viscerum, muscularum, solidarumq; partium.~~ Hinc inde collegerunt, praeter externas vulgares etiam internâ peculiarem, eamq; communissimâ subesse causam, tandemq; concluderunt: & quidem priores (Arabes) etiam si ~~fœtus in utero~~ ex semine parentum sua capiat primordia, & ex purissimo matris sanguine prima nutrimenta sumat, tamen facile fieri posse, ut successu temporis, cum jam uberiora alimenta pro incremento poscit, etiam ex ~~menstruo~~ nonnihil attrahat: Posteriores (Mercatus &c.) licet hoc non fiat, vix tamen fieri posse, quin purior fœtui destinatus sanguis, alieno morbosq; calore & miasmate inficiatur ab illâ collochie Lochiorum

chiorum quæ ex menstruo in venis à primâ conceptione detento. & ex fœtus alimento inter secundinatunicas coærvatur, in partu & à partu exoneranda.

XIV.

Quâ de re unius atq; alterius auctoris ipsa verba hic subscribere opera pretium videtur. Arabum sententiam, alienior ab eâ ~~Ferneticus~~, ita sibi objicit: Scio quâ Exanthematis & Ecthymatis causam Avicennas & Neoteritorum plurimi designant, reliquias quasdam menstrui sanguinis, quo fœtus in utero matris alebatur, in pueris & infantibus etiamnum permanere: quæ fervidioris cœlo & austrinâ tempestate, unâ cum reliquo sanguine effervescentes, natura vi propulsa foras profiliant & efflorescant in cute.

XV.

Eandem ~~Valescus de Tharanta~~ vicinior ætate, neq; dissentiens interpret, his verbis & hoc stylo proponit, Lib. 7. Cap. 17. de Variolâ & Morbillis. Variolæ & Morbilli sunt vesicæ natæ super cutim, ex sanguinis ebullitione, cujus ebullitionis fermentum & materialis causa est aliqua pars menstrui sanguinis in aliquibus partibus vel porositatibus membrorum in primâ generatione derelictus vel retentus. Et hoc ultimum dico, quod paucissimi sunt, si suo naturali tempore vivunt, qui evadant, quin habeant Variolas & morbillos. Et quia tam communes sunt omnibus, videtur quod fermentum istorum co-trahatur à primâ generatione ex superfluitate, vel infectione sanguinis menstrui. Nam, ex puriore parte fœtus nutritur, feculentia autem in porositatibus retinetur. Idem paulò post: Conjunctæ, inquit, causæ sunt ipsamet ebullitio & calefactio in sanguine & humoribus, & in sanguine menstruali fermentante alium sanguinem, similiter & humores, & corruptio sanguinis, & humorum ex jam dicta fermentatione procedens.

XVI.

~~Mercati~~ sententia hæc esse videtur: Fœtum jam primo conceptum ex naturæ instinctu & decreto allicere quidem purissimum, dulcissimumque sanguinem (cum paucis indigeat alimento) grandiotem vero factum ex necessitate & urgente sæpe incremento cum laudabili illaudabilem simul sanguinem accersere, Ex hæc miscella in-
generari

generari membris inaequalem quandam dispositionem quæ menstrui sanguinis naturam respiciat.

XVII.

Sed alibi paullo aliter sentire videtur, ubi concedit quidem, à menstruo sanguine morbillorum ortum dependere, at nullam inde in membrorum porositatibus materiam, tanquam seminium vel fermentum relinqui, sed ipsi innato calido vitiosum calorem tanquam characterem ex illâ infectione inprimi: eumq; calorem licet alienum & non omnino genuinum tamen connaturalem congenitum, tanquam sua conditionis & mutua cognationis memorem & ὑπέροχον mansuetiorem esse, adeoq; longo sapius tempore ut ὑπόχρον tolerari: quod si vero hæc vel illa occasione effervescat, & abvius humores simul in fervorem agat, adeoq; natura bellum indicat, conflictum oriri & feliciter pugnante naturâ, excandescentem illum calorem, una cum complicibus ichoribus foras in cutem propelli, similibus excretis communi modo excipiendis obnoxiam.

XVIII.

Etiam hic ipsa auctoris verba subjicerem, nisi prolixiora essent, quæ conclusionis loco addit, recitasse sufficiat, eaq; hæc sunt: quod ut rectius intelligas, scito, Non aliter quam in aliquibus corporibus remanent paternorum morborum ex semine & sanguine menstruo principium & vestigium, ita prorsus consentaneum videtur, sanguini unde alitur foetus aliquid vitiosi & menstrualis admisceri, cujus ratione innatum calidum, quod toti corpori genito commune fit, vix esse possit familiare, simile, utile & beneficum licet sit naturale, i. e. à principiis generationis contractum.

XIX.

Mercurialis hereditarium esse morbum apertis verbis proficitur, & hanc hereditatem paternam seu proprietatem, esse potentiam & aptitudinem quandam filii ingenitam, propter quam redduntur apti & dispositi ad similes morbos.

XX.

Fernelius & qui Fernelio astipulantur, (cum viderent Variolarum

larum & Morbillorum rarius προεξιδὼν sparsim disseminatum, sed πανδημιον populariter grassantem morbum esse, & quidem non ενδημιον huic vel illi loco proprium: sæpius ἐπιδημιον per multas regiones diffusum, alias Ενθεσσεγν mitiorem & μηλοϊμωδη, alias λοιμωδη pestilentem, modo ἐπιεικῆσσεγν minus atrocem, modo planè ὀλέθριον perniciosissimū,) tam communis & tanti morbi causam nō in perpetua hujus vel illius loci natura, neq; in accidentario dietæ, sive privato sive communi vitio & errore, sed in cōmunissimo aëre constituendam arbitrati sunt, tanquā parva alicujus pestis, & quidem in aëre non tam temporū, tempestatumq; insolentioribus mutationibus manifestius alterato, nec tam ab inferioribus quam superioribus causis infecto, & morbosa eāq; à diviniore aliquo principio dependente inquinacione perfuso; ~~atq; ita incertum hic ex menstruo sanguine fermentum præsupponere, æquè supervacaneum esse, quam si in bubonibus & carbunculis præsupponeretur.~~

XXI.

In hujus sue sententiæ subsidium sacrarum litterarum auctoritatem, Astronomorum infausta Sydera, Malevolos positus & aspectus, majorumq; laminarium ἐκλύψεις, cometas item & similia in prodigium nata Meteora accersunt. Nec non τὸ Θεῶν, νεπερῶς ἀποκρίσεις & πέσεις allegant Hippocratis, divini quiddam aliquibus morbis subesse statuentis, & morbosa inquinamenta in aëre morbososq; influxus agnoscantis.

XXII.

Videatur Fernelius de abditis rerum causis, & de propositis nostris ἐπιθεσμοισι l. 4. de Feb. c. 18. unde que sequuntur iterum transcribere lubet, Finitima Bubonibus & Carbunculis sunt ἐξανθήματα & ἐκθύματα: Hæc pustularum specie in summâ cute extuberant, alba quidem sed in ambitu rubra: Exanthemata verò maculæ sunt exiles vel rubræ vel purpureæ vel nigra, ut autem corporis summa ita & interiora omnia viscera, musculos, nervos, ceterasq; partes solidas, obsident ex hisq; primâ originē ducunt. Utriusq; propria causa in aëre; qualitas,

tas, quippe maligna diversi mitioris generis quam quæ carbunculum
bubonemq; pestilentem ingenerat, proinde in Infantes & pueros non
autem in seniores, nisi ferocior immaniorq; sit, invadit. Neq; austri
neq; pluviosa constitutio neq; æstas sed cæcæ perniciës, hyeme pariter ac
æstate annis quibusdam irrumpens, horum est effectrix, cum hæc enim
inquinamenta illa incipiunt & desinunt &c.

XXIII.

Cæterum Fernelij sententiam ἐπιδημίας λοιμώδεσι ἐξομοίωσι,
optimè congruere statuimus, reliquis, (liceat vel saltem doctrina
gratia ita loqui) hereditariis internum principium subesse arbi-
tramur, quod cum hoc aut illo auctore, sive fermentum sive alie-
num calorem, sive dispositionem, potentiam & aptitudinem esse
arbitreris, curationi parum vel nihil obstare videtur.

XXIV.

Et quidem hoc principium si privatâ quâdam occasione exci-
retur & in actum deducatur, sporadica, si ex communis aëris alte-
ratione, & vitio sed non maligno Epidemice μὴ λοιμώδεσι non pe-
stilentibus, ut ex supra dictâ infectione λοιμώδεσι pestilentibus Variolæ
& Morbilli contingunt.

XXV.

Est igitur & manet Variolarum & Morbillorum proxima cau-
sa, humorum Effervescentia & Ebullitio, eaq; si non semper, modo
non semper cum febre. Cause antecedentes, ex menstruo insitū in-
quinamentū & pravorum humorū minor, major, in corpore appa-
ratus. Cause externa privatam vitii & Error in dieta, communis
aëris, temporum tempestatum & ventorum insolens magna & diu-
turna mutatio, aut longè latèq; diffusa, aliquando ab inferiori, se-
pius à superiori principio oriunda infectio, & inde vel etiam ab
agris corporibus communicatum contagium.

XXVI.

Diagnostica signa, horum ἐπιδημίας sive ἐκβεβησμάτων
& quidem instantium, aut in primâ quod dicitur herbâ adhuc
subsistentium, (vix enim aliis hujusmodi signis hic opus est,) signi-
dem

B

dem gemmas cum jam prorudunt, vel in flore constituuntur, utro agnoscuntur & dignoscuntur.

XXVII.

Signa, inquam, hæc sunt; si spontaneâ lassitudine corpus ingravescit, cum pigri somnolentia, oscitatione, pandicularione, pedum tremore, dorsi dolore, si nausea, vomitus, hæmorrhagia contingit, urina turbantur, si caput dolet, tempora pulsant, aures pruriunt, nares cum pruritu stillant, oculi solito minus lucidi intumescunt, & cū internâ coruscatione illacrumantur, & tota facies cum rubore quasi inflatur, si vox raucescit, nec libera satis, sed difficilior, & crebrior sit respiratio, cum sicca tussi, cordis angustia, si somnum, terrifica insomnia, pavor, deliria & convulsiva membrorum concussiones interturbant, si cutis cum ardore & obscuris delitescensium macularum vestigiis, vel minutulis miliaribus papulis rubescit. Quin etiam non levem suspicionem parit, si præcedens vel præsens anni tempus, & æris constitutio tale quid portendit, si populariter malum jam grassatur, si contagij occasio antecessit.

XXVIII.

Signa materiae unde constituuntur, in colore sunt, qui ratione humorum, miscelle humorum, & corruptela variat; albus præruitam, flavus bilem &c. violaceus, viridis, lividus, niger, adusos corruptos humores arguit.

XXIX.

Quanto major membrorum gravitas &c. tanta major etiam humorum crassities; quanto tenuior & biliosior est materia, tanto major ardor & pruritus, inquietudo, oris siccitas & sitis.

XXX.

Sequuntur affectarum partium signa cum Prognosticis. Insolita difficultas respirationis, faucium pectorisq. angustia, tussis, metū incutiunt, ne vicaria organa, Singultus, ventris dolor, & tormina, ne ventriculus & intestina, internis etiam scateant &c. &c. &c.; Quae gravissima sæpe mala secum ferunt v. g. Anginam;

nam, peripneumoniam, syncopen, periculosos alvi fluxus, cruentas
urinas, & non raro post se retingunt, v. g. raucedinem, as-
pneam, pthisin &c.

XXXI.

Erumpentibus hisce ~~en~~ ~~Be~~ ~~u~~ ~~o~~ ~~r~~ ~~o~~, non statim conjuncta febris
tanquam peracta Crisi expectanda solutio, hac enim plerumq; per-
sistit, dum cita alvo fœda proluvies exeat, aut paulatina fiat ca-
loris extinctio.

XXXII.

Ebullitio humorum ut plurimum quatrIduo perficitur, &
augmentum sese ad septimum diem extendit, status undecimo
expectatur, & inde declinatio.

XXXIII.

Cita & alacris eruptio, febris & febriliū symptomatum
remissio, naturæ robur demonstrant, & materię obsequium, feli-
cemq; eventum pollicentur; & contra, præsertim si difficilis de-
glucitio, nausea, vomitus, ngodidylia, vigilia & deliria agrum
exerceant, vel sopor opprimat, nedum, si lipothymia, vel convulsio
suboriatur.

XXXIV.

Ελατθιγεται & ενδύγεται ipsa quod attinet, atrociasunt in-
terna, in externis Variolis raticas & intervalla, mollities, rocum-
dior prominentia & color albus, in Morbillis rubicundus laudatur,
violaceus, viridis, lividus niger color, utrobique minus boni & non
raro pessimi ominis est, sicut & ignavio & inconstans opum sive
eruptionis impetus, ut supra etiam innuimus.

XXXV.

Contra hostiles morborum impetus in subsidium vocatus
Natura Consulcus, & consederatus Medicus, merito perpendit
primò, 1. An aliqua, & qua pars vel partes corporis, (qua hujus
aut illius organi particule) 2. à quo morbo vel morbis 3. Ex quâ
vel quibus causis male habeant: Deinde, Qua sit agri conditio,

B 2

atas,

atque, sexus, virium robur &c. Denique, quod sit anni tempus, Quae
caeli syderum constitutio &c. Sicubi dubius nec ab astantibus vel
agro ipso satis erudiri potest, Ex signis, ab actionum lesione, excre-
tis, mutato corporis habitu desumtis, (manifesta quae sunt) arti-
ficioso ratiocinio & conjectura, occulta quae erant, colligit & pra-
concepta simul prognosticum demum concludit, Numquid agat, 2.
Quid agat, Quibus auxiliis, qua forma, Quomodo, Quo tempo-
re & loco, Extrinsecus applicandis, Intrinsicus exhibendis &c.

XXXVI.

Priora, quae magis Theoretica sunt de propositi morbi, Naturae,
diagnostica & prognostica signis haecenus usque τὸ πᾶσι exhibuimus.

XXXVII.

Restat ut quid agendum, quibus auxiliis &c. prosequamur.

XXXVIII.

Quanam hic indicationes! Res ipsa loqui & indicare vide-
tur, 1. Saepe majore aut minore praemisâ corporis evacuatione
opus esse, per ventriculi exonerationem, alvi irritationem, elutio-
nem, purgationem, & praecipue per vena sectionem, aut scarifica-
tionem & cucurbitulas, imminuenda complicum praevorum humo-
rum copia causâ. 2. Feruorem humorum attemperandum, ut na-
tura tanto magis oboediat, nec impetuosius effranga & crudum ex-
cessu in putredinosam inflammationem commigret. 3. Igna-
viori imperfectiori & inconstanti imbecilliori Natura conatui
calcar addendum, & conjunctâ artis operâ laborandam, ut à cen-
tro ad superficiem materia planè protrudatur nec retrocedat. 4.
Internis visceribus, & maxime pulmone prospiciendum sedulamque
defensionem praestandam faucibus, oculis, naribus; & graviora
accidentia quae praecaveri non potuerunt, quomodocumque, corri-
genda esse.

XXXIX.

Consideremus ordine singula, 1. Ubi Nausea urget & de cru-
dorum succorum in Ventriculo redundantia constat, lentioribus
emeticis

emeticum vomitus concitetur, praesertim si consuetudo suadeat, nec sit quod contradicat. Irritatio alvi fit suppositoriis, Elusio Clysteriis.

XL.

Purgantia in curando hoc affectu vix locum inveniunt, quod si tamen humores turgeant, & a natura regi & expelli non possint, adeoque metus sit, quod in principes partes irruant: Sine insigni commotione, lenioribus pharmacis per alvum aliquam partem educere, & finibus hostem pellere satius est, quam permittere, ut tanquam exautoratus miles hinc inde in corpore vagetur, summo & praesentaneo cum periculo ne tutius aliquod propugnaculum occupet, & inde immedicabilia damna agro inferat, idque non nisi in principio fieri debet, cum nulla & ne minima quidem instantis eruptionis extant indicia.

XLI.

De venesectione hac accipe; Ex superioribus constat, proposita en^o u^ota comitem habere febrem, & ex humorum ebullitione oriri, quare secti a venâ, non parvi momenti consequimur comoda, tum quod fervorem sanguinis & plethoricam in venis ebullitionem moderemus, tum quod ipsam etiam plenitudinem imminuamus, unde potentior natura redditur, & minori labore residui expulsionem per agit. XLII.

Hujus auxilium antequam exsequaris, quamprimum accedis ad agrum, considerabis aetatem, vires, tempus morbi, &c. itemque, an appareant jam quaedam en^o u^ota, an vero pura adhuc cutis & sine maculis existat. Nullo hinc, nec aliunde obsistente impedimento, praemisâ alvi lenitione, venam dextri brachij aperies, & sanguinem mittes, parcius tamen in Morbillis quam in Variolis, Quod si occasio venesectionis non detur, vel praeterierit (quod non semper fit apparentibus en^o u^ota) per sanguisugas, scarificationem & cucurbitulas rem ages.

XLIII.

Quod, si misso jam ante sanguine & maturescantibus en^o u^ota denuo quasi revertatur febris! Sanè venesectionem si repeti-

B 3

veris

Veris calumniam vix evades, sed nec eger periculum, si intermiseris; in tali casu, distinguenda est supervenientis febris causa & occasio, quæ si est Variolarum suppuratio, (quam tumor, dolor, color prodit,) abstinere ab iterata sanguinis detractio, (protinus enim concident vires, & suppuratio non perficietur) Verum si nova ebullitio subest, novaq; in prociñctu est eruptio, consideratis considerandis, venam de novo incidere non dubitabis, quod si enim neglexeris, nec aliquâ parte novi oneris naturam relevabis, forte non sufficet, & priorib. Embectio pauci maturandis, & posterioribus protrudendis perficiendisq;.

XLIV.

Haftenus de evacuationibus per alvum, venæ sectione &c porro *sudorifica & expellentia* quaedam medicamenta *conjunctis corroborantib. & alexipharmacis* in medium producemus, eaq; simplicia pleraq; ex quibus pro renata varia formæ concinnari poterunt.

XLV.

Aquæ hic laudantur, veronica feniculi, calendula, Cardui Benedicti, & Cordialis Herculis Saxonia, decocta Ficum, Scortzoneræ, quæq; ex Avicenna passim descripta extant tanquam usualia. Succj granatorum, acidulorum, citriorum, aurantiiorum. Syrupi granat. Rubi Idæi, Violarum, Capilli Veneris, jujubarum, cytoniorum. Rob. Ribium, Cerasorum Berberum, Cyton. Conservæ Rosarum, anthos flor. calendulae, Tunica. Condit. flores aurantiiorum, citri, radices Scortzoneræ, Helenij. Semina, Napi, citri, Carduibenedicti, aquilegia, Nasturtij, Lentescitem & milium. Pulveres; C. Cervi & alces, Philosophicè preparati, vel in magisterium redacti, corallorum perlarum vel simpliciter vel prædicto modo preparatorum. Species Conf. Liberantis. Electuarium liberans, Confectio de hyacintho, Alkermes.

XLVI.

Expulsio si suâ sponte feliciter procedit, & febris febriliq; symptomata paulatim imminuuntur, optimū sapere remedium est, nullo uti remedio vel paucissimis uti, v. g. solo decocto ficum pro expulsiō

pulsione & roborantibus cardiacis, rariora si appareant in Egeria ma-
ta, vel etiam retrocedere videntur, si accidentia ingravescunt
aut recrudescunt, cum anxietate & inquietudine; debili & impo-
tenti Natura fortioribus expellentibus & confortantibus. praesidiis
succurre, nec & externa auxilia negliges frictiones inunctiones
&c.

XLVII.

Quod si effraenis & nimius obtingit in expulsione, naturae
impetus, magnus in visceribus. incendij suspicio est, commendata
habeas, maxime in initio, Tamarindinum lactis serum, de-
coctum hordei, prunorum, cerasorum, & supra indigitatos acidos
succos, Syrupos, &c. defensivis praesidiis, cum particularibus tum
Generalibus.

XLVIII.

Generalia interiorum viscerum defensiva sunt supra citata de-
coctiones Avicenna; Mercatus pulmonibus. mirum in modum pro-
desse dicit, decoctum lentium & seminis papaveris, cum s. q.
sacchari ad consistentiam Looch vel Linctus incrassati.

XLIX.

Ad oculorum defensionem commoda est aq. (de purati succi)
Rosar. plantaginis, Polygoni, cum infusione vel ebullitione & ex-
siccata calyce rosarum, myrsillis, sumach, addito croco (applican-
tur extrinsecus) In iisdem aquis pluries extinguitur candens, au-
rum, & sic oculis instillantur, addito Sieff albo, tantillo Camphe-
ra, vel sibi.

L.

Oculus oculis tepidum lac convenit, & decocta sem. faen. Graci,
lini, ex aq. rosacea; sunt qui sanguinem teneriorum Columbarum
hic & pro maturandis, (quos avertere non licuit) variolis commen-
dant.

LI.

Cavebit ager ne fricatione, medicus ne ullius medicamenti acrimonia
oculis dolorem creet, vel, mitigandi doloris causa, opio utatur.

LII.

Narium tutelam praestant i. Odoramenta v. g. ex aceto rosaceo & aq.
plantaginis simplici vel Chalybeata, cum (succo thelidonia) camphora &
santalis, & Inunctiones ex ol. Cytoncorum. Ad emolendas crustas, praecaven-
dam exulcerationem, oleum sesaminum, amygdal. dulcium, sem. lini, cucurbi-
ta, me-

sa, melonum, ad ipsam exulcerationem unguentum ex lithargirio, vitello ovi
& succo plantaginis in mortario plumbeo, plumbeo pistillo agitati, ad crusta-
cea ulcera, mucilagines tragacanthi. Sem. cytoneorum, chalybeatis vel auratis
aquis extracta & sicut jam diximus cum oleo omybacino rosaceo commiste.

LIII.

Faucib. quamprimum metui, etiam ante eruptionem, prospicies repellentib.
Gargarismis ex decocto hordei cum summitatib. prunelle, polygoni, cum
myrtillis & malicorio, ex aqua plantaginis, Rosarum simplicis vel chalybeata
cum diamoro succo granatorum Syrupo Rosarum & aceto rosaceo.

LIV.

Graviora si qua contingunt accidentia, v. g. dysenteria, & oculorum vi-
zia, eorum medelam suo quamq; loco invenies apud Practicos, de Variolarum
apertione, (que rectius acu quam forpice fit) & exsiccatione (qua madefactis
hoc vel illo decocto linteis, unguentis superspersisq; pulvisculis tentatur) & de-
lendis lituris supplendiq; foviis hic precipue quari solet. Apertionem ut &
exsiccationem natura rectius permitti, quam quovis modo exerceri concludit
& monet Sennertus.

LV.

Adimplendis Scrobiculis & tollendis cicatricibus quoniam exigua emen-
tationis spes est, Platerus eo labore supersedendum arbitratur. Quid igitur
opus est hac de re hoc etiam loco verba facere cum id publice data occasione
fieri possit.

LVI.

Lactenti & ab uberib. adhuc dependenti infantuli curatio tota serè in
regimine lactantis consistit, & adtemperacione sive medicatione lactis. Quare
adtemperacioni & medicationi que inservire possint ex supra enarratis seli-
ges, & sequentia de aère & cibo diatetetica præcepta nutritici inculcabis.

LVII.

Aër sit temperatus modo ad calidum magis modo ad frigidum vergens
(pro ut indiget aeger & status morbi requirit,) mundus item & non admodum
luminosus.

LVIII.

De cibo & potu sic statuendum videtur, quanto graviora sint accidentia,
(ut hic in initio tempore ebullitionis) tanto tenuiorem & parciozem conve-
nire victum. Satius esse maxime in pueris aliquanto plus indulgere pro virium
conservatione, quam cum jactura virium detrabere: studiose hic vitanda pin-
guia & dulcia, acres item, salsi & aromatisati cibi. Phtisana ex hordeo aut a-
vena sine aut cum emulsione amygdalarum sepius usurpanda. Potus tenuis
cerevisia esse poterit, vel decoctum hordei & Scortzoneræ cum succo granato-
rum, citri & vino abstinebit aeger. Atq; hic filum abrumpimus & curiosiorem
lectorem ad citatos autores Mercurialem pot.issimum & Mercatum, vel
etiam in omnium manib. qui est Sennertum remittimus.

*pulsione & roborantibus cardiacis, rariora si appar-
ta, vel etiam retrocedere videntur, si accident
aut recrudescunt, cum anxietate & inquietudine
renti Natura fortioribus expellentibus. & confor-
succurre, nec & externa auxilia negliges frictio
&c.*

XLVII.

*Quod si effraenis & nimius obtingit in exp-
impetus, magnis in visceribus. incendij suspicio est
habeas, maxime in initio, Tamarindinatum
coctum hordei, prunorum, cerasorum, & supra in-
succos, Syrupos, &c. defensivis praesidiis, cum par-
Generalibus.*

XLVIII.

*Generalia internorum viscerum defensiva sunt
coctiones Avicenna; Mercatus pulmonibus. mirum
desse dicit, decoctum lentium & seminis papav-
sacchari ad consistentiam Looch vel Linctus incre-*

XLIX.

*Ad oculorum defensionem commoda est aq. (C
Rosar. plantaginis, Polygoni, cum infusione vel ex-
siccata calyce rosarum, myrsillis, sumach, addito
tur extrinsecus) in iisdem aquis pluries extingui-
rum, & sic oculis instillantur, addito Sieff albo, et
ra, vel sibi.*

L.

*Oclusis oculis repidum lac convenit, & decocta
linis ex aq. rosacea; sunt qui sanguinem tenerioru
hic & pro maturandis, (quos avertere non licuit) v-
dant.*

LI.

*Cavebit ager ne fricatione, medicus ne ullius medic-
oculis dolorem creet, vel, mitigandi doloris causa, opio utat-*

LII.

*Narium tutelam praestant 1. Odoramenta v. g. ex a
plantaginis simplici vel Chalybeata, cum (succo chelidon-
santali, & Inunctiones ex ol. Cythereorum. Ad emolliendas
dam exulcerationem, oleum sesaminum, amygdal. dulcium,*

